

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Da. 14. 1

DE HOSPITIO
scholarum & Ecclesiæ,

VT GENERI HV-
MANO NECESSARIO,

ITA CONSERVATORI EA-
rum præpotenti Deo grato sacrificio, pro
inauguratione noui auditorij, quod illustriss.
ac generosiss. Pr. Anhaltinus Ioach. Er-
nestus P.P. Deo & Musis extruxit,

ORATIO HABITA A

GREGORIO BERSMANO

*illustris Gymnasij Seruestani Rectore & Pro-
fessore, Die 21. Mens. Iunij, Anno
Christi Iesu 1585.*



ZERVESTÆ
Excudebat Bonauentura Faber.

M. D. LXXV.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



DE HOSP. SCHO. ET ECCL.



VAN QVAM MIHI
conuentus vester, viri omni-
um ordinum præstantissimi,
cumq; eo conspectus hic stu-
diosæ iuuentutis semper est
iucundissimus: tamen hoc quidem tempo-
re, & hac rerum perturbatione, tantò acci-
dit iucundior, quantò huiusmodi congrega-
tionum minor indies futura videtur frequen-
tia. Nam cum literarum humaniorum stu-
dia summis, mediocribus, infimis, sorde-
re magis magisq; incipiant, adeò illa qui-
dem, vt ex eorum quoque numero, qui do-
ctrinæ & sapientiæ laudem affectant, tracta-
tionis eorum aliquos poenitere videatur;
quid porrò, à fastidio isto & contemptu lite-
raturæ barbarico, metuendum sit congres-
sui, non dico virorum eruditorum, sed sal-
tem adolescentiæ bonis artibus operam na-
uantis, nemo non intelligit. Itaq; est quod
huic ciuitati gratuler, ac bono rei literariæ
gaudeam, cum video reperiri in illa viros
dignitate, prudentia, & auctoritate con-
spicuos, qui non modò erga Scholasticorum

DE HOSPITIO SCHOLA.

gregem à multis neglectum bene affecti sint, sed etiam ad communitatem illorum inuisere non dedignentur. Quæ, etsi post primam cætus huius dissipationem, quam grassatio attulit luis pestilentialis, nondum vires recepit suas, succedente præsertim, vnâ cum temporum difficultate, nescio quorum ab hoc Gymnasio alienatione, atq; oppugnatione præterea obtrectationis & calumniæ plurimorum, quæ nonnullos, minimè ab hac pietatis & bonarum disciplinarum officina abhorrentes, retraxit; tamen hæ quantulæcunq; reliquæ, & quasi tabulæ veteris naufragij, quod sub auspicia sua statim Schola hæc tecisse videbatur, loquuntur nobis bonitatem & omnipotentiam misericordis ac præpotentis DEI, in conseruandis Ecclesiæ feminarijs, & custodiendis quasi halcyonijs quibusdam, ad propagationem purioris religionis & bonarum literarum. Huius beneficij magnitudinem neque animi nostri capere, neq; cuiusquam eloquentia dicendo consequi potest. Quamobrem consideratione eius quotidiana, vnumquemq; nostrum

ET ECCLESIAE.

nostrum ad gratias DEO agendas excitari par est, qui in hac effeta mundi senecta, ac fatali quadam rerum omnium inclinatione, disciplinæq; virtutis, ac honestatis labefactione, atque euersione florentissimorum imperiorum, apertum esse iubet aliquod hospitium pietatis & optimarum artium culturae, neque vastari finit Scholarum & Ecclesiae nidulos, infestatos atrociter ab hoste Filij DEI & vniuersi generis humani Diabolo, oppugnatos hinc inde ab aduersarijs cum plurimis, tum minimè contemnendæ autoritatis & potentiae; laborantes denique inquilinorum suorum suspicione intestina, odio, æmulatione, simultate, dissidijs. Inter hæc ruinæ & vastitatis imminentis discrimina, locum relinqui aliquem exercitio veræ pietatis ac doctrinæ eruditæ, quis non miretur; quis, nisi ab omni humanitate auersus, non agnoscat opus hoc, non politicæ sapientiae, non regiae potestatis proprium, sed prouidentiae ac gubernationis diuinæ. Cuius equidem tam immensi beneficij cogitatione, & horum temporum miseriam, &



DE HOSPITIO SCHOL.

fortunaæ meæ, quæ mihi cum multis bonis est communis, acerbitatem, hæctenus consolatus sum: eiusdemque recordatione ple-rosq; vestrum dolorem, vel potius mærorem suum, ob afflictissimam his temporibus communis patriæ, hoc est, Ecclesiæ conditionem, leuare ac mitigare mihi persuasum habeo. Atque, vt me vobis amplius aperiam, hæc ipsa tantarum rerum meditatio, aurem mihi vellit hoc tempore, quo de recepto antiquitus more, præfatiuncula quædam inaugurandum erat auditorium hoc, quod patrum memoria confessionis seu potius carnificinæ Monasticæ, atque superstitionum idolomaniaæ fuit ergastulum, in posterumque consecrandum sacrarum literarum, & omnis generis disciplinarum, atque artium politiorum professioni, vt argumentum hinc orationis meæ idoneum, monentibus præsertim idem collegis, quorum ego auctoritatem nunquam defugi, rectè sumi posse arbitrarer. Quid enim, vel loci huius inaugurationi conuenientius, vel pijs auribus. grauius afferri posse existimem commemoratione

ET ECCLESIAE,

moratione earum rerum, quæ & memori-
am nobis renouant beneficentiæ DEI im-
memorabilis, & insinuant quoq; animis no-
stris honestam de illustribus. Principis D. no-
stri clementissimi munificentia existimatio-
nem. Qui, cum superioribus annis, hoc
Gymnasium pietati & Musis aperuisset, be-
neficium istud singularis benignitatis, & pa-
ternæ erga subditos affectionis, nunquam
satis laudatum, cumulare voluit exædifica-
tione huius, in quo conuenimus, auditorij.
Itaque quod bonum, faustum, ac felix sit, at-
que inaugurationis huius instituto fortuna-
tum ac salutare, reipublicæque literariæ fru-
ctuosum & honorificum, oratione, quæ
nunc habenda est, exponere institui, quàm
necessarium, quàm DEO gratum munus
sit, hospitium quod præbetur scholis & Ec-
clesiæ. Etsi autem has orandi partes, mal-
lem eorum alicui datas esse, qui & maiore
cum auctoritate in hoc loco cõspiceretur, &
luculentius explicare sciret materiam hanc:
tamen, cum ita visum sit scholæ nostræ Se-
natui, me in præsentia hoc dicendi munere,

DE HOSPITIO SCHOLA.

in quo plus oneris quàm honoris sentire mihi videor, defungi; neq; ego id honestè recusare potuerim: qua possum, quaq; par est reuerentia ac contentione, à dignitate, præstantia, & humanitate vestra maiorem in modum peto, vt me, neque eloquentia factis ad orandum instructum, neq; vsu admodum confirmatum, fauore & studio vestro subleuetis. Nam vtroque mihi maximè opus esse animaduerto, præsertim verba facienti in hac congregatione virorum pietatis, sapientiæ, doctrinæ, ac virtutis laude ornatisimorum, & corona iuuentutis literatæ, ad quam nihil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportet. Atq; de hoc cum nihil vobis polliceri habeam, præter voluntatis & conatus studiosam contentionem, atque operam minimè pigram: de illo bene me sperare iubet mirifica vestra æquanimitas, cum alijs cognita, tum mihi ipsi apud vos antea disserenti perspecta. Sed, vt inde comprobationis huius proficiscatur initium, vnde orationis ipsius præcipuum argumentum ducitur; cui vestrum obscuro
rum

ET ECCLESIAE.

rum est, æternum coeli terræq; opificem, id-
 eò condidisse initio genus humanum, ut
 esset imago & archetypus summi architecti,
 utque Ecclesiam sibi ex eo colligeret, à qua
 verè agnosceretur, religiosè inuocaretur,
 riteque celebraretur. Hoc cum à principio
 propositum sibi haberet procreator ille mū-
 di D E V S, post vltimi & à domicilijs no-
 stris remotissimi, omniaq; complexu suo
 cingentis & coërcentis coeli fabricationem,
 terram effecit, quæ incolis atque habitato-
 ribus suis hominibus sedem ac domicilium
 præberet. Quorum quidem victui ut satis
 superque prospectum esset, eam non modò
 frugibus & arboribus fructiferis, varioque
 leguminum genere, quæ maxima vbertatis
 funderet largitate, instruxit: sed etiam ede-
 re iussit omnigena animantium genera, quæ
 vsui seruirent humano, partim ad velcen-
 dum nobis apta, partim idonea, ut illorum
 villis ac tergoribus confectis atque contex-
 tis vestiamur. Nolo enim ceteras nunc per-
 sequi utilitates, quas, vel onera subeundo,
 vel terram subigendo, vel lares custodien-

A 5 do. &



DE HOSPITIO SCHOLAE.

do, & id genus famulatu nobis afferunt, prorsus infinitas. Mitto etiam in intimis terræ latebris reconditas auri argentiq; venas; mitto ex eiusdem cauernis gelidas scaturientium fontium perennitates; mitto liquores perlucidos riuulorum manantium; mitto amnium inde profluentium riguas amoenitates, ad vitæ communis partim necessitatem, partim commoditatem seruientes. Hæc ita se habere, non modò sacrarum literarum testimonijs euidentissimis planum fieri potest, sed & veri DEI cognitione non imbutis, nec tamen fanaticis epicureorum delirijs prorsus dementatis, persuasum fuit. Quid enim tot sapientum disputationes de mundi fabrica aliud efficiere conantur, quàm hoc euincere, cùm mundum ipsum, quem communem Deorum atque hominum domum, aut urbem utrorumque statuunt, tùm, quæ in eo sunt omnia, quibus vtuntur homines, hominum causa facta esse & parata. Nam, vt fides & tibi rectè dicimus eorum causa factas esse, qui vti ijs didicerunt: ita summis illis philosophis nequaquam visum fuit incon-

senta-

ET ECCLESIAE.

sentaneum asserere, quoniam omnium, quæ
in mundo sunt, rerum, omnis est hominum
& usus & cura, illarum quoque copiam ad
eorum fructum comparatam esse. Sed quæ-
rat aliquis, quorsum tu nobis ista? Eô ni-
mirum omnis hæc directa est commemora-
tio, vt, cum norma omnis sapientiæ & regu-
la mens diuina, mundi architecta, iudi-
carit Ecclesiæ, quam ex genere nostro sibi
destinauerat, necessarium esse domicilium,
idem mihi apud vos affirmanti, firmiter cre-
datur. Et sanè hoc DEI iudicium cum alia 11.
comprobant, tum imprimis admirabilis, &
omne humanæ intelligentiæ acumen supe-
rans, mundi ipsius inter tantos Caynicæ po-
steritatis furores & rabiem, & monstra ista
grassantium in terris Gigantum, conserua-
tio. Quos ille, vt est ad iram tardus, ad cle-
mentiam propensus, annis bis mille Eccle-
siam crudeliter vexantes, atque immanita-
tem suam vix cœlo abstinentes, non aboli-
to cum ipsis, quod eorum merebatur impie-
tas, mundi hoc opificio, non aliam ob cau-
sam patienti ac lento animo tulit, quàm vt
inter

DE HOSPITIO SCHOLA.

inter ipsos coetui suo conseruaret hospitium, quo degentem in terris haud quaquam carere posse iudicabat. Sed hoc sapientissimi conditoris & fatoris rerum omnium in conseruanda Ecclesiae habitatione consilium, manifestissime demonstrat verè miraculosa Nohæ in diluuiio protectio. Nam cum propter profanam impietatem, & tyrannicam crudelitatem, vagasq; libidines, ac mores perditissimos, homines à se creatos de terræ solo deleturus esset, neque homines duntaxat, sed etiam cum ipsis genus animantium vniuersum aboliturus; ante omnia de Ecclesiae, quæ ex generis humani tam infinita multitudine, ad octo redacta erat animulas, salute & incolumitate sollicitè cogitauit. Atq; arca illa, in quam ingressum Noham vnà cum filiis, vxore, & nuribus, cum eodem introissent ex omni genere bestiarum, & pecorū, & humi serpentium, & volucrum, atque adeò ex omnib. vitali spiritu præditis corporibus, coniuga paria antè, quàm terram aquarum inundaret diluuius, saluum & incolumem præstitit, quàm plenum est ingenium

ET ECCLESIAE.

tium miraculorum spectaculum? Effusis Oceani fontibus, reclusisque per dies quadraginta coeli fenestris, arca pluuiarum & eluuiionis inundantia à terris sublata, aquis magis magisque valescentibus ac crescentibus, per vndas fertur; quæ quidem incremento dierum centum quadraginta in tantum aduictæ fuere, vt exundatione sua non solum altissimos montes æquarent, sed ad quindécim cubitorum altitudinẽ obruerent. Quid autem rebus, vt tum apparebat, desperatis fit? Noha ipse toto anno foris oppugnatur procellis & fluctibus tempestatum murmurantium; intus terroribus percellitur ferarum rugientium & grunniientium: quæ, tametsi vereri eum cogebantur propter pabuli, quod indies præbente ipso accipiebant, beneficium, tamen naturam agrestem nequaquam exuebant. Et seruatur tamen ipse, recordante eius Deo omnipotenti, inter tot mortis pericula, vnà cum familia incolumis, nec fætore enecatur sentinæ & sterquilini; & arca, obturante eam forinsecus DEO custode, vndis nõ obruitur; tũ vastis iactata fluctibus

DE HOSPITIO SCHOLA.

Atib, gubernante filio DEi, non submergitur. O maius animi humani capacitate miraculū? ò imago conseruationis Ecclesiæ verè prodigiosa? Memoratur de Atheniensium vrbe proditus figura quadam prouerbij Græcus versiculus, quo perhibetur, vtrem quidem aqua mergi, submergi verò nunquam. An non multò rectius hoc quadrabit in arcam illam, & quæ effigie eiusdem repræsentatur, Ecclesiam? Imperunt hanc omnibus pænè momentis imbres, nimbi, procellæ, turbines, quibus in hoc mundo, tanquam in mari immenso ac turbulento fluctans, tempestatibus percellitur persecutionum, ac pænè demergitur; sed in medijs tamen fluctibus emergit, atque in portum enauigat, moderante ac defendente eam summo gubernatore. Cuius præsidio sustentata, neque tyrannorum expugnatur truculentia ac crudelitate, neque hæresiarcharum euertitur immanitate & sæuitia, neque vllis periculorum domi forisque paratorum abripitur fluctibus. Non enim tam ab hostium externorum aduersatione metuendū
ei vi-

ET ECCLESIAE.

ei videtur, quàm à domesticorum, quibus cum assiduè conficitur, insidijs, qualibet vi externa magis reformidandis. Et alit enim ipsa quoq; in sinu ac visceribus suis leones, tygres, vrsos, lupos, apros, vulpes, porcos denique & canes, qui, quamdiu pabulo eius fruuntur & alimento, naturæ dissimulant feritatem, sed cum tempestatum ac temporum permutatione ipsi quoque mutati, statim ad ingenium redeunt. Quod cum fit, idem tum illi usu venit, quod in apologo oviculæ, pastoris fatui coactione, suo ipsius lacte catulum lupi nutriente, à quo tandem adulto devorabatur: aut, quod curruæ accidere perhibetur, cuculi ovis incubanti, à cuius pullis adolescentibus mater infelix miserè discerpitur. Sed prolixior fortassè sum his recensendis, quàm æquanimitas vestra non iniquè latura videatur, breuior certè, quàm rei atrocitas postulat. Confido autem vos, cum ex fabricatione terræ, ante hominem ex limo formatum effectæ, tum mundi vniuersi conseruatione, de qua hactenus differuimus, facile intelligere, quàm necesse

DE HOSPITIO SCHOLA.

necesse Deus duxerit, hospitium aliquod extare illius cætus, per quem propaganda erat doctrina veritatis cœlestis; quamque rem faciat necessariam, qui in hac parte operam DEO tradit magistratus. Ac profectò infiniti operis esset, omnia consilij diuini in tuenda Ecclesia argumenta persequi. Cuius, 3. præter exempla modò exposita, testis est vniuersa scriptura, testis est ab exordio mundi ad hanc vsque ætatem Ecclesiæ historia, testimonium dicens, omnibus semper temporibus, in summarum Monarchiarum excidio, conseruatam fuisse sedem & domicilium, vbi inter maximarum ærumnarum & calamitatum difficultates receptum illa haberet suū.

4. Sed operæ precium duximus, vnicum præterea exemplum non minus memorabile, superioribus adijcere, quod dum ego paucis commemoro (pluribus enim non licet) quaeso me benignè, vt adhuc fecistis, attendite. Quantum miraculorum est in populi Israëlitici ex seruitute barbarica liberatione, quantum in eiusdem ex Aegypto educatione; siue prodigia consideres, quæ eam antecesserunt,

runt,

ET ECCLESIAE.

runt, siue quæ hanc consecuta sunt portenta, fide omni maiora & Hæc sanè edito ad omnes mortales præconio testantur curæ esse DEO Ecclesiam, regi eam, gubernari, sustentari diuinitus, tum maxime, cum humanorum præsidiorum auxilia deficiunt vniuersa. Nam, vt missa faciam signa & prodigia à Moise & Aarone in conspectu Pharaonis edita, quàm ad vulgus hominum, & secundum carnem tantum sapientes incredibile est, populum DEI ab hostibus suis non modò incolumem dimitti, sed etiam auro, & argento, & veste preciosa, multa que & lauta & magnifica supellectile onustum, pænè extrudi? Sed hæc minora. Quidè quòd proficiscentes cum familia, infinitisque pecorum & armentorum gregibus, ductor Deus interdum nubis columna aduersus ardorem solis protexit; noctu, ne incertis errarent regionibus, collucentis igneæ columnæ splendore viam præiens deduxit, vt diem nocteque iter facerent? Quidè quòd ad extremam redactis angustiam, cum à tergo hostis imminentiis metus vrgeret, rupes ad vtrunque

B

latus

DE HOSPITIO SCHOLÆ.

latus altissimæ ascensu prohiberent, mare deniq; aduersum obiectu suo exitum clauderet: per aquas discissas, & hinc inde aggeris in modum sublatis, iter aperuit; hostesque ipsos obfirmato animo insecutos, æstus refluentis vnda, cum curribus & equis ad vnum omnes obruit? Expositiones hæ sunt simplices & nudæ rerum mirificarum & maximarum. Quid? quòd iussæ à DEO nubes cibum eis suauissimum & panem cœlestem depluentes, ad saturitatem vsq; subministrabant; venti, eodem imperante, immensum coturnicum agmen asportabant, tanta illud quidem copia, vt multitudine sua pulueris & arenæ numerum æquante, tum castra ipsa, tum illorum circuitus obtegerent; rupes denique virgæ Mosaicæ percussu disruptæ, fontes ad potandum largissimos effundebant, riuus & fluminibus è silice profluentibus? Verumenimvero, cum extarent tot miraculorum prodigia, totq; & tam illustria præsentia diuinæ testimonia quotidie se ostenderent: tamen non plebis modò ignobilis furor & vesania, sed & principes ipsi

ET ECCLESIAE.

ipsi ac gubernatores, nunc diffidentia, nunc
 refractaria aduersus Moïsen contumacia &
 seditione, nunc libidinum incontinentia,
 nunc denique cultu idolorum prophano li-
 beratorem & nutritorem suum Deum irri-
 tarunt. Qui, cum neque insignium ac miri-
 ficorum operum admonitu, neque iusta præ-
 narum & suppliciorum animaduersione,
 apud genus hominum rebelle, simulatum,
 leue, perfidiosum, quicquam proficeret;
 tandem adeò erga eos ira exarsit, vt propè
 vniuersam illam multitudinem sexcentorum
 millium peditum virorum, præter turbam
 imbellem, & vulgi promiscui frequentiam,
 quam ex domicilio seruitutis eduxerat, ad
 internecionem dederet. Sic semper in Ec-
 clesia magnus quoq; reproborum numerus
 est. Et seruauit tamen sibi ex illis reliquias,
 quas in terram maioribus eorum addictam,
 lacteque ac melle affluentem perduceret; in-
 que ea Aboriginibus Chananæis deletis, po-
 pulo suo pararet sedem & domicilium, in
 quo nascendus erat Messias, primis paren-
 tibus promissus. O mirificam gubernationis

DE HOSPITIO SCHOLA.

& conseruationis Ecclesiae omnibus temporibus imaginem. Neque enim minorem nationis Iudaeorum in deserto annis quadraginta miraculose enutritae gloriam fuisse existimandum est, quam postea extitit, cum Dauide & Salomone regnantibus in summo regnum floruit honoris & maiestatis fastigio. Sed abrumpenda mihi est in medio cursu narratio haec, neque uestra abutendum benignitate, nec committendum, ut orationis prolixitas, quam rerum affert copia & multitudo, vobis auscultandi pariat fastidium. Quae res facit, ut in praesentia, & secularum deinceps populi Iudaici conseruationum paene incredibilium narratione supersedeam; & praeteream quoque Christianorum, in tanta tyrannica & Pontificia persecutionis, ab Apostolorum usque temporibus in hunc diem, crudelitate & saeuitia, protectionem admirabilem; taceam denique eorundem, inter Sarracenorum, Turcorum, & Tartarorum immanitatem, non modo habitationem tranquillam & securam, sed etiam, quod fide paene maius est, concessum

ET ECCLESIAE.

cessum iisdem piæ religionis exercitium. Incidamus enim oportet media, ne nimis serò ad extrema veniendo, benignitatis vestræ parum videamur habuisse rationem. Itaque tot extantibus exemplis respectus ad coetum piorum prouidentia diuinæ, quid est quod amplius dubitetur, quin munus exequatur, necessarium magistratus, hospitium præbens Ecclesiæ? De qua cum loquor, ita me à vobis intelligi velim, ut nunquam ab ea scholas separem, quæ primorum quoq; patrum ætate, omnibusque deinceps seculis adiunctæ illi perpetuò fuerunt, & necessitudinis quadam cognatione cum eadem continentur. Neque enim illæ virtutum solummodo & bonarum artium domicilia sunt, sed etiam templa religionis, in quibus erudiri & præparari oportet, quotquot ad Ecclesiæ gubernationem adhiberi debent pastores, Prophetæ, Doctores, Episcopi. Minime enim ex re videtur Ecclesiastica, quoslibet promiscuè illi præfici, neque, quod Apostolus quoque cauere iubet, quibuslibet absque delectu manus imponi; sed ex-

DE HOSPITIO SCHOLA.

ploranda prius sunt ingenia, ne indocti & imperiti illotis ad aras manibus & pedibus prorumpant. Qui enim tales sunt, eos non modò mysteriorum arcet sanctitas & reuerentia; sed etiam DEVS ipse remouet. Quid enim hoc aliud eum sibi voluisse exiltimandum est, cùm omne primogenitum masculum, non hominum duntaxat, sed & pecorum, lege Israëlitis laa, sibi conseruari iussit, asinis duntaxat reiectis, quorum primogenitum agno vel hædo redimi, aut ceruice fracta abici voluit, quàm quod ministerio suo indignos censeret asinos, & horum similes doctores ac ministros verbi rudes & imperitos? Itaque meritò laudandum est eorum institutum, qui exemplo primorum patrum, Prophetarum, & Apostolorum, perpetuò Ecclesijs adunxerunt scholas discipulorum bonas artes, & doctrinam religionis, neque absque illarum testimonijs ad vocis diuinæ præconium admiserunt quæpiam. A qua consuetudine si nostro quoque seculo non discederetur, minus esset in religione controuersiarum, minus errorum,
minus

ET ECCLESIAE.

minus denique corruptelarum. Etsi enim vulgò persuasum est, hominem indoctum non gignere hæresin: tamen experientia testatur, non probè in doctrina veritatis eruditos, vel omnium longissimè recessisse à perpetuo & vero confessionis Catholicæ cōsensu, piæque ac religiosæ antiquitatis congruente sententia; suarumque opinionum & errorum fascino ac præstigijs inuoluisse etiam alios complures. Est enim fatalis ista *αυτοδιδάκτων* siue labes, siue calamitas, vt, quam quisque eorum sibi opinionem somniauit, eam dogma esse velit, atque ad hoc comprobandum, aliorum contorqueat & detorqueat auctoritatem, tanta cum pertinaciæ obstinatione, vt manifestis in erroribus malit perseverare, quàm sententiam mutare, & veritati cedere. Quo quidem vitio non ipsos tantùm monstrosarum opinionũ magistros, & horribilium dogmatum architectos laborare videas, sed eorundẽ quoque asleclas & sectatores. Verum istorum reprehensionem immorari huius loci non est, neq; omnino opus esse arbitror. Quis est enim tā

B † de.

DE HOSPITIO SCHOLA.

117
demens, qui non animaduertat ad doctrinæ
fanioris propagationem, qua nullū in terris
præclarius DEI donum est, necessarias esse
scholas eruditas: quarum curam, vnâ cum
Ecclesiæ nutritione, regibus & principibus
per Prophetam iniungit DEVS, vt ad vti-
litatis necessitatem, accedat etiã altera man-
dati; de qua modò plura non dicam. Quid
enim verbis opus est, vbi res ipsa loquitur?
Hæc nimirum, vt omnia semel dicam, sunt
illa Ecclesiæ & reipublicæ seminaria; hi hor-
tuli, in quibus plantæ educantur coelestes,
quæ, irrigante DEO, adultæ transplantan-
tur in domo domini; vt in atrijs eius instar
oliuarum fructum ferant, & palmarū amæ-
nitate floreat, ac cedrorum in Libano pro-
ceritate assurgant; hi sunt cœli illi, ad quos
plantandos se Prophetam destinasse DEUS
ipse profitetur. O insigne scholarum enco-
mium, quas, præter alias verissimas laudes,
cœlorum titulo ornari audias; neque imme-
ritò. Qui enim in illis doctrina imbuuntur
veritatis, inde ad Ecclesiam adhibiti, post-
quam multos ad iusticiam erudierunt, tan-
dem

ET ECCLESIAE.

dem ad coelestem transferuntur Academi-
am, fulsuri ibi stellarum splendore, æthram-
que ipsam sua illustraturi claritate. Sed illa-
rum laudationem persequi nobis propositum
non est. Pergo igitur nunc ad id, quod de-
inceps restat probandum, quàm gratum
DEO fiat, concesso scholis & Ecclesiae ho-
spitio. Hoc quia plerisque vestrum iam antè
persuasum esse certò scio, non ero in hac
parte verbosior. Cui enim, qui Ecclesiae hi-
storiam mediocriter habet cognitam, igno-
tum est, quantis Deus præmijs compenlarit
beneficia in illam collata? Nam, ut ea file-
am, quæ in futura vita vnicus ille præco ve-
ritatis, & sermo æterni patris hospitibus suis
policetur; atque ad populum redeam Israë-
liticum; negari non potest, Aegyptum tam
diu floruisse, quàm diu hospitium fuit Eccle-
siae. Nam, & in summa annonæ caritate, cum
vicinarum nationum aliquot fame perirent,
hospitis sui Iosephi sustentatur providentia:
& huius industria regnum ipsum constitu-
tum legibusque munitum, aliquot seculis
duravit, nec prius concidit, quàm antiquos

B 5 hospites

*Secunda
quod gra*

DE HOSPITIO SCHOLA.

hospites suos seruitutis intolerandę iugo opprimere, & imperij asperitate, durissimorumque operum oneribus & molestijs vitam ijs acerbam reddere coeperunt. Itaque non temere à regio Propheta dictum est: Nolite tangere vnctos meos, & Prophetis meis nolite malefacere. Cuius comminationis veritatem suo interitu experti sunt, quotquot se Israëlitis reges armis opposuerunt: quorum nomina prætereo consultò; quia me verba facere scio apud Iudaicæ antiquitatis & historiæ peritos. Verùm non Aegyptijs solummodo, sed alijs quoque politijs saluti fuit fouisse Ecclesiam. Testatur hoc Assyriorum, testatur Chaldæorum imperium, testantur, quæ illa consecutæ sunt, Monarchiæ; quarum regibus sua erga illam beneficentia felicitatem, contraque crudelitas & sæuitia perniciem attulit. Neque verò illa regibus tantùm, sed ipsis etiam Monarchijs fuit exitio. Quis enim ignorat, propter contemptum verbi diuini, cultumque idolorum, & eorum, qui sua ad Deum intercessione, cum publicarum tum priuatarum calamita-

tum

ET ECCLESIAE.

tum allevationem impetrant, vexationem, translatum esse imperium à Chaldæis ad Persas, à Persis ad Græcos, à Græcis tandem peruenisse ad Romanos? Sed quorsum opus est peregrinis vii exemplis, cum in promptu sint nostrana? Nemini enim ferè ignotum est, quocumque ex Germanicis imperatoribus & principibus scholas & Ecclesias auerunt, eorum administrationem & ipsi fortunatam, & reipublicæ salutarem extitisse. Hoc quia notius est, quàm ut expositione mea res egeat, nolo eorum, quod nimis longum erat, in præsentia instituere catalogum, contentus vel unico Caroli Magni exemplo, quem vnum ex summis & salutaribus orbis terrarum Monarchis fuisse accepimus. Quamuis enim gubernatio eius in tempora reipublicæ incidisset difficillima, & quasi in mare quoddam negotiorum Germaniæ & Italiæ intricatum, ac rerum totius imperij perplexarum, turbatarumq; tempestatibus atrocibus, seditonum & discordiarum: tamen in ijs explicandis ac tranquillandis, vsus est cursu adeò secundo, adeò prospero, ut ob-

iectas

DE HOSPITIO SCHOLA.

iectas aliquoties fortunæ procellas, & ad-
uersitatum fluctus facile superaret virtute &
robore animi infracto. Atque singularis
illa gloriosæ armorum expeditionis & seda-
tionis motuum inopinatæ felicitas, à sapien-
tiorib, non temerè tributa fuit studio, quod
in eo excellebat, pietatis & religionis, pror-
sus incredibili: quo impulsus, pluribus in
locis ad honestam ætatis puerilis educatio-
nem, & liberalem institutionem, ludos ape-
ruit, & locupletibus stipendijs, amplisque &
speciosis ædibus Academias auxit. Nam, &
Parisiensem scholam Alcoini Angli, qui
Bedæ auditor fuisse, & imperatorem ipsum
in puriori Philosophia, atque Ecclesiæ do-
ctrina erudisse memoratur, melius ordina-
uit; & explosis ex illa magicæ impietatis stu-
dijs, introduxit culturam optimarum artium
& disciplinarum, doctrinæque elegantiam
atque eruditionem; & Ticinensem Acade-
miam primus instituit; & vetera collegia,
quæ tunc doctrinarum sedes erant & domi-
cilia, probè fundavit. Mitto monasteria,
mitto Episcopatus plurimos ab eo conditos,
mitto

ET ECCLESIAE.

mitto reditus in ministrorum Ecclesiae sustentationem consecratos. Illud imprimis memorandum, quod deuictis bello continuo annorum triginta Saxonibus auctor fuit, ut abiecto idolorum cultu, atque superstitionis ethnicae profanitate, amplecterentur veritatem religionis, & assuefierent ad agnitionem vniuersi & veri Dei. Sanè hoc tantum facinus est, ut illius praedicationi nulla par esse possit oratio. Et quisquam dubitabit gratum Deo fieri hospitalitatis erga sibi addictos benignitate; quippe quæ tantis ab eo compenferur virtutum ornamentis, tantis afficiatur praemijs, ut eorum fructus non solum ad eos perueniat, qui ijs ornantur, sed omninò ad vitae redundet communitatem; eos quoque attingat, qui beneficia illa minimè agnoscunt. Quemadmodum enim Ecclesiae in diluuiò conseruatio, bestijs quibusdam & animantibus rationis expertibus, ut paulò ante docuimus, saluti fuit: ita propter eam in hunc vsque diem conseruantur politicae aliquae, etiam beneficium illud non agnoscentes; immò homines quoq; profani,

DE HOSPITIO SCHOLA.

fani, imp j, & scelerati, quibus D Eus ad castigandam illam, & in exercitio pietatis, fidei, ac tolerantiaë rennendam, tanquam flagellis, vti consuevit. Quis enim, in tanta regnorum potentis imo um euerfione, ac prope modum vniuerfi orbis concuffione atq; interitu, Turcica immanitatis vastationem, quã experia fuere nationes florentiffimæ, qua vrbes concideunt munitiffimæ, à communi patria hætenus repressit? Quis huc vsque truces acinaces, & sagittas leniferas à nostris & liberorum nostrorum ceruicibus auertit, quàm hospitantis & ægrè se in Germania sustentantis Ecclesiæ preces? Qua tandem expulfa atq; exterminata, nulli illam muri, nullæ arces, nulla propugnacula, nulla præfidia contra Gog & M gog, Melech & Kedar gentium immanum irruptiones atq; impetus, tutabuntur atque defendent. Quotus autem quisque est, qui de tantis commodis, quibus propter Ecclesiam fruitur, cum animo suo cogitationem suscipiat? Quotus est, qui grata illa mente complectatur, ac non potius id studio habeat, vt odium, vt inuidi-

ET ECCLESIAE.

uidiã, vt suspicionem, vt infamiam ministris eius conflet, atque fortunarum, exilij, carceris, capitis quoque discrimen conciliet. Notæ sunt erga eam affectiones procerum, quorum ferè quantò quisque maior est, tantò ab ea est alienior, ne quid dicam grauius: notæ sunt propensiones erga eandem sectatorum aulæ, quos, vt gulam heri sui coquum, ita ipsos dominorum suorum animum habere videas: notæ sunt etiam incessentis eam insectationes vulgi, quando id non melioris sed maioris partis iudicio fertur. Et seruat tamen omnipotens Deus inter istos Satanæ & mundi furores coetum sibi placentem, vtcunq; numero exiguum, & viribus imbecillum, ac specie contemptum: et seruaturus est in posterum, etiamsi fractus illabatur orbis, vt cum psalmographo loquar. Fremant igitur aduersus Christum eiusque asseclas gentes & populi, coeant societatem reges, conspirent principes, gladios stringant carnifices, ignes succendant hæreticorum magistri, anathemate fulminent clamatores

DE HOSPITIO SCHOLARUM.

matores rabiosi, non defutura tamen est, quæ Eliam relictis excipiat, Sareptula; inuenietur qui ab Iezabelis immanitate vates absconditos pascat Obadias; erit quæ Hamanistruculentiam infringat Estera; irruent qui maledicis vociferatoribus os obturent vrsi; aderit qui flammaram æstum restinguat angelus; cœlum denique capiet, quibus iniultè relegatis tuguriolum terra negat. Sed quoniam de nutritore scholarum & Ecclesiæ magistratu nobis sermo est, non debeo silentio inuoluere, nec meritorum suorum præconio, ac debito virtutum maximarum testimonio priuare illustrissimum ac generosissimū Principem, dominum nostrum clementissimum, qui antiquissimæ & laudatissimæ domus Anhaltinæ ornamenta, domi militiæque parta, cumulanda sibi duxit, pietatis memorabilis & sollicitudinis verè paternæ ad scholas & Ecclesiam respectu. Quarum cura quantopere afficiatur, cum multis hæctenus susceptorum, pro veritatis cœlestis assertionem, eiusdemque ad posteros propagationem, laborum & periculorum ostendit

ET ECCLESIAE.

stendit argumentis: tum ad omnem, si quaerunt, seculorum ætatem testatum fecit, concesso Ecclesie Christi Iesu multis ab hinc annis hospitio; apertione præterea Gymnasij huius, quod incorruptæ religionis, & bonarum artium ac disciplinarum perfugium & asylum esse voluit. Et sanè digna admiratione res est, eius auspicijs, hoc postremo & periculosissimo tempore, ac deliræ mundi ienecta, inter tot & tantas motuum cum publicorum, tum intestinorum tempestates; tantam eorum, in quibus maximè fides esse debebat, perfidiam, improbitatem, insidias, foueri & augeri Ecclesiam, vigere optimarum artium studia; pace, quiete, securitate frui ciuitates. Hoc vt omnium cogitatione maius est beneficium, ita gratis animis complectendum, ac debita gratiarum actione prosequendum est, neque ardentium ad DEVMvotorum ac precum inimicarum gemitus & uspiria intermittenda, vt perpetuam hanc nobis felicitatem esse velit, cum principis nostri beneficentissimi, ac sanctissimæ coniugis, & prolis generosiss.

C

diu-

DE HOSPITIO SCHOLÆ.

diuturna ac constanti vitæ & salutis incolu-
mitate, rerumque omnium copia & afflu-
entia, gloriæque & auctoritatis incremento,
& gubernationis tranquillæ ac florentis pro-
speritate. Cui præpotenti & fideli agminis
tui infirmi tutori ac defensori æterno Deo,
etiam ciuitatis huius, sicut par est, & præsi-
dum illius salutem, vitam, & fortunas, pre-
cibus commendamus supplicibus, orantes
toto pectore, vt eam opibus, dignitate, glo-
ria, rebus secundis florentem, in posterum
quoque hospitium esse velit scholarum &
Ecclesiæ, ac templum eius doctrinæ, quam
ipsa, emergente paulatim ex tenebris Ponti-
ficijs Euangelij luce, facemque illi præferen-
te ad hoc munus diuinitus electo Martino
Luthero, præ alijs Germaniæ ciuitatibus
amplexa est, ac depositum illius in hunc vs-
que diem sincerè ac constanter retinuit.
Sed finis tandem faciendus est orationis hu-
ius, quam vestra in me audiendo prouexit
benignitas; cuius quidem modum, non ex
verborum copia, quam rerum suppeditare
poterat vbertas & abundantia, sed ex vestra
ausculta

ET ECCLESIAE.

auscultantium æquanimitate, mihi statuen-
dum censeo. Et est verò argumentum hoc
eiusmodi, vt prolixiore non egere videatur
confirmatione, præsertim quod comprobari
videamus perpetuo Dei consilio in Ecclesiæ
omnibus temporibus conseruatione, remu-
neratione autem erga nutritores eius tanta,
quantam existimari conuenit eam, quæ hu-
ius & futuræ vitæ præmijs contineatur: cau-
sa denique ea, quæ mandati diuini necessita-
te, vtilitatum magnitudine, summorum
denique virorum exemplis comprobetur.
Quæ cum ita sint, maiorem in modum à
vobis etiam atque etiam peto, vt voluntatis
& beneuolentiæ vestræ erga hoc Gymnasi-
um affectionem, quam præsentia vestra de-
clarare voluistis, constanter retineatis; au-
geatis ijs officijs, quæ Deo grata, vobis ho-
norifica, Reipublicæ huic salutaria existima-
bitis. Ego, quicquid est in me studij, in-
genij, industriæ, quicquid beneficio & au-
toritate vestra valere, quicquid labore &
contentione mea efficere poterò, id omne
ad vos vniuersos & singulos, ad scholam
C 2 hanc,

DE HOSP. SCHO. ET ECCL.

hanc, ad alumnam eius fideique nostræ tra-
ditam iuventutem, benignè defero; qui-
bus curam, diligentiam, operam, fidem, à
me re ipsa, quàm verbis probari
fatius duco.

D I X I.



IMAGO.

IMAGO ECCLESIAE.
EX EPISTOLA QVA
DAM NVNCVPATORIA
Philippi Mel. ad Illustriss. Pr. Mauri-
cium Ducem Saxoniae, &c.



HÆC CVM IN BRV-
ma scriberem, tempus me de
Halcyonijs admonuit. Aiunt
enim, Halcyonas in marinis
scopulis nidificantes, hoc asper-
rimum anni tempore incubare ovis, & pullos
excludere. Eamque ob causam diebus qua-
tuordecim id mare, quod hospitium præbet
incubanti Halcyoni, adeo placidum esse, ut
tuto nauigari possit, nec sæuitia ventorum
quassari, nec undis obrui auis hospitiæ nidū.
Ideoque tranquillitatem & quasi inducias
certorum dierum circa brumam, vocari Hal-
cyonios dies. Ut autem Deus multas in na-
tura rerum imagines Ecclesiæ nobis propo-
suit: ita mihi legenti totam earum auium de-
scriptionem sæpe venit in mentem Ecclesiæ
nidificantis, tanquam in mari, in magnis &
turbulentis imperijs, in quibus aliquantisper

C 3 Deus

Deus & domicilium, tanquam nidum, & tranquillitatem mediocrem pijs studijs concedit, vt propagari Euangelium possit. Tali fuerunt Halyconia genti Iudaicæ, cùm Christus & Apostoli docuerunt. Nisi enim aliquantisper pax fuisset, non spargi vox Euangelij, non erudiri adolescentia, non coalescere coetus aliqui potuissent. Hæc enim fieri non possunt, cùm terrore armorum, & barbarie ac furore militum dissipantur honesti coetus, cùm vrbes euertuntur, cùm nulli sunt receptus discipulorum, cùm à complexu parentum auulsa adolescentia iugulatur. Hæc cum fiunt, iram Dei aduersus humani generis peccata agnoscamus, ac deploremus. Sed tamen immensa Dei bonitas interdum aliquas concedit inducias, propter Ecclesiam, vt maris fluctus aliquantisper sedantur, ne foetificantem Halcyonem impediant, &c.

IN

IN GYMNASIVM IL-
LUSTRE EXTRVCTVM AB
illustriss. & generosiss. Principe & Do-
mino, Dn. Ioach. Ernesto Pr.
Anhaldino, &c.

H *AEc rase quondam fratrum fundata ca-
terua.*

*Atq; cuculligero tecta dicata gregi,
Aonidum addixit templis, Christosq; sacrauis
Ascania Princeps fama decusq; domus;
Sic de tergemino meritus praclarus orbe,
Sic rebus patriae commoda plura ferens,
Quam cum, peruigili Alcides custode perempto,
Abstulit ad patrios aurea pomalares.
Deniq; sic magni mensuram nominis implens,
Ascane quod primo de genitore refert,
Salve Musarum spes, ac Pietatis asylum,
Quo florent vrbes praeside, templa, schola.*

Fl 2450

ULB Halle

3


003 140 27X




IA 70L

MA








(6)

DE HOSPITIO
scholarum & Ecclesiæ,
VT GENERI HV-
MANO NECESSARIO,
ITA CONSERVATORI EA-
rum præpotenti Deo grato sacrificio, pro
inauguratione noui auditorij, quod illustriss.
ac generosiss. Pr. Anhaltinus Ioach. Er-
nestus P.P. Deo & Musis extruxit,
ORATIO HABITA A
GREGORIO BERSMANO
illustris Gymnasij Seruestani Rectore & Pro-
fessore, Die 21. Mens. Iunij, Anno
Christi Iesu 1585.



ZERVESTÆ
Excudebat Bonauentura Faber.

M. D. LXXV.

